

*Qui sine peccato est vestrum,  
primus in illam lapidem mittat.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

8, 1-11

In illo témpore:

- <sup>1</sup> **P**erréxit Iesus in montem Olivéti.
- <sup>2</sup> Dilúculo autem íterum venit in templum,  
et omnis pópulus veniébat ad eum,  
et sedens docébat eos.
- <sup>3</sup> Addúcunt autem scribæ et pharisæi  
mulierem in adultério deprehénsam  
et statuérunt eam in médio
- <sup>4</sup> et dicunt ei:  
«Magíster, hæc múlier  
manifésto deprehénsa est in adultério.
- <sup>5</sup> In lege autem  
Móyses mandávit nobis huiúsmodi lapidáre;  
tu ergo quid dicis?».
- <sup>6</sup> Hoc autem dicébant tentántes eum,  
ut possent accusáre eum.  
Iesus autem inclínans se deórsum  
dígito scribébat in terra.
- <sup>7</sup> Cum autem perseverárent interrogántes eum,  
eréxit se et dixit eis:  
«Qui sine peccáto est vestrum,  
primus in illam lápidem mittat»;
- <sup>8</sup> et íterum se inclínans scribébat in terra.
- <sup>9</sup> Audiéntes autem unus post unum exíbant,  
incipiéntes a senióribus,  
et remánsit solus,  
et múlier in médio stans.
- <sup>10</sup> Erigens autem se Iesus dixit ei:  
«Múlier, ubi sunt?

Nemo te condemnávit?».

¶ Quæ dixit:

«Nemo, Dómine».

Dixit autem Iesus:

«Nec ego te condémno;

vade et ámplius iam noli peccáre».

Verbum Dómini.